



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

CCCCLXV. Propst Henning von der Schulenburg überläßt die Propstei zu Salzwedel auf 3 Jahre an Mag. Johann Bock, am 3. Juni 1481.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

cunque status, gradus, ordinis aut condicionis fuerint, ne quidquam contra dictam nostram fundationem, innovationem et confirmationem attemptent seu bona eiusdem vicarie indebite occupent quouis modo, Alioquin contra tales et eorum quemlibet quanto arcus poterimus rite procedemus iustitia mediante. In cuius rei signum presentes nostras literas fieri nostrique Sigilli iussimus et fecimus appensione communiri. Datum et actum in Castro nostro Sturwaldis, Sub Anno a natiuitate domini millesimo quadringentesimo Octuagesimo primo, Die vero Veneris, Quarta Mensis Maij, presentibus ibidem Honorabili et prouido viris domino Iamberto listen, presbitero, et Conrado woleman, laico dicte nostre verdenfis diocesis, testibus ad premissa vocatis et requisitis.

Ad mandatum prefati domini Episcopi et Administratoris Petrus Smöck,
Notarius ad hec scripsit.

Nach dem Originale im Archiv der Stadt Salzwedel, Fach 26, No. 5.

CCCLXV. Propst Henning von der Schulenburg überläßt die Propstei zu Salzwedel auf
3 Jahre an Mag. Johann Bock, am 3. Juni 1481.

Coram vniuersis et singulis cuiuscunque gradus, ordinis aut condicionis existentibus presentes nostras literas visuris, lectoris pariter et auditoris, Nos Henninghus de Schulenborch, prepositus ecclesie beate uirginis Marie in Soltwedel, verdenfis diocesis et Canonicus maioris ecclesie Magdeburgensis etc. sane recognoscimus et presentibus etiam publice protestamur, quod non in dolo, metu, fraude seducti aut aliqua sinistra machinatione circumuenti, sed ex certa nostra scientia, mera voluntate et animo deliberato omnibus melioribus modo, via, iuris stylo, ordine et forma, quibus potius et validius potuimus et debuimus, constituimus, creauimus et sollempniter ordinavimus, ac constitimus, creamus et sollempniter ordinamus presentibus in dicta nostra prepositura Soltwedel, cum ejus regimini personaliter arduis et legitimis negociis prepediti commode interesse nequimus, viceprepositum locum gerentem et procuratorem, videlicet honorabilem dominum et Magistrum Johannem Bock, virum etate maturum ac moribus et scientia comprobatum, committentes eidem per tres annos a die datarum presentium immediate subsequentes curam animarum dicte nostre prepositure ac dantes et concedentes ei plenam liberam et omnimodam potestatem, dictam nostram parochialem ecclesiam cum capellis singulis eidem ecclesie incorporatis regendi, jurisdictionem tam spiritualem quam temporalem nostram per se seu per alios sibi competentes exercendi, crimina, defectus et excessus tam ecclesiasticarum quam secularium personarum delinquentium corrigendi, ad parochialem ecclesiam ville Brewitze, si medio tempore vacaverit, alium ydoneum nomine nostro presentandi et instituendi, obedientiam et homagia a subditis quibuscunque exigendi et recipiendi, institutiones ad beneficia ecclesiastica et destitutiones, quotiens opus fuerit, prestandi, testaments et ultimas voluntates juxta laudabilem hactenusque servatam, citra quam etiam non est alia in memoria hominum, longi temporis prescriptam consuetudinem, ac privilegia apostolica dicte prepositure gratiose concessa approbandi, rationeque recepta testamentarios ab onere testamenti absoluedi, ac omnes et singulos redditus, fructus, obuentus et prouentus, oblationes et emolumenta dicte nostre prepositure exigendi, recipiendi et sublevandi, et de receptis et sublevatis

quitandi, et generaliter omnia et singula gerendi, faciendi et exercendi, que nos in premissis quomodolibet facere et exercere possemus, si presentibus personaliter interessemus, etiam si talia forent, que mandatum exegerint magis speciale, quam presentibus est expressum, infeudatione bonorum feudaliū et commissione jurisdictione temporalis, que solum exigit penam capitalem et sanguinis, duntaxat exceptis, in quibus duobus casibus nobis solum proprietatem omnimodam reservamus. De quibus tamen redditibus, fructibus, obventibus, proventibus et emolumentis omnibus et singulis dictis nostre prepositure prefatus Magister Johannes coquinam, mensam ac consuetudines tam in ecclesia quam in curia nostra dudum servatas disponet et observabit, et nobis annuatim centum et viginti florenos renenses aut habenti nostrum cirographum et quitanciam duabus vicibus, videlicet sexaginta super festo Michaelis et sexaginta super festo penthecostes, a nobis nostris literis sigillatis quitatus singulis annis exsolvet realiter et ad effectum, quibus sic exsolutis, eum ad ulteriorem rationem premissorum reddituum, obventuum, proventuum et emolumentorum occasione minime astringere volumus, sed totum id et quicquid de dictis fructibus, obventibus, proventibus et emolumentis sublevatis, dictis consuetudinibus servatis et centum et viginti florenis renensibus, sic ut premititur perfolutis, restiterit, prefato Domino et Magistro Johanni Bock in recompensam suorum laborum benevole damus et appropriamus. Cum etiam horam mortis incertam nemo preterire poterit, ne occasione presentis nostre commissionis, si nos medio tempore debitum univēse carnis exsolvere contigerit, quomodolibet dissensiones suboriri valeant, eam horam et dispendia presenti nostra ordinatione, modo et forma infra scriptis volumus prevenire, ita videlicet cum oblationes ac alii proventus et emolumenta dicte nostre ecclesie nobis defunctis ad dictum Magistrum Johannem minime devolverentur, statuimus et volumus presentibus, quod nostri heredes aut testamentarii tantam summam, in quantum dicte oblationes et proventus se extendere possent, juxta arbitria bonorum viro- rum de summa centum et viginti florenorum nobis perfolvendorum dicto Magistro Johanni remittent. Et si prefatus Magister Johannes de medio sublatus fuerit, tunc testamentarii eius unum virum ydoneum, ad portandum sic ut premititur onus dicte nostre prepositure, quoad tempus statutum ab libitum eorum disponent et ordinabunt.

Et Ego Magister Johannes Bock omnia et singula per dictum venerabilem virum Dominum Henningum de Schulenborch, prepositum, sic ut premititur ordinata, fideliter adimplere ac centum et viginti florenos renenses de redditibus, fructibus, obventibus ac proventibus, emolumentis dicte prepositure temporibus statutis exsolvere promitto. Unde nos Henningus de Schulenborch, prepositus, et Magister Johannes Bock presentibus renuntiamus omnibus juribus, privilegiis, indultis ac beneficiis quibuscunque datis seu dandis, ac juri dicenti: generalem renunciationem non valere nisi tunc precesserit specialis, quibus prefens ordinatio per nos sic ut premititur facta quovis modo posset infringi seu violari, sed omnia et singula premissa rata, grata atque firma pro nobis ac omnibus, quorum interest seu interesse poterit quomodolibet in futurum, in perpetuum tenere et observare promittimus sub omnium bonorum nostrorum presentium et futurorum ypotheca et obligatione. In quorum omnium et singulorum premissorum evidens testimonium sigilla nostra presentibus sunt appensa. Datum anno millesimo quadringentesimo octuagesimo primo, dominica qua cantatur in ecclesia Dei Exaudi.

Nach dem Originale des Salz. Archives XXVI, 6.